

capti ; inter quos mortuus fuit Dyetricus de Rubignaco, & Branca de Civitate; & in aqua mortuus fuit filius D. Nicolai de Budrio, & alii quamplures quorum numerus nescitur. Pax vero reformata fuit, & præconizata eodem anno, quarto die ante Festum S. Martini.

*De adventu D. Meynardi Comitis de Ortumburch in Civitatem.*

Anno Domini M. CCC. D. Meynardus Comes de Ortumburch, qui factus fuerat Capitaneus Generalis per D. Petrum Patriarcham, venit in Forumjulii, videlicet in Civitatem, in subsidium Domini Patriarchæ, & Aquileiensis Ecclesiam, contra D. Girardum de Camino, Comitem Goriciæ, & quasi contra omnes Castellanos Forijulii, X. die intrante Septembri. Qui obsedit Villaltam in Festo S. Matthæi Apostoli, & fecit eis magnum damnum.

*De morte Venerabilis Patris D. Petri Patriarchæ.*

Anno Domini M. CCC. primo, Indictione XIV. die X. exeunte Februario, Vener. Pater D. Petrus Aquileiensis Patriarcha obiit in Castro Utinensi, & sepultus fuit ibidem in Capella S. Mariæ.

*De Indulgentia Romæ concessa per Papam Bonifacium.*

Anno Domini M. CCC. Sanctissimus Papa Bonifacius (<sup>a</sup>) Quartus, qui destruxit illos de Columna totaliter, & Civitatem illorum & Castra dirui fecit, concessit & dedit omnibus vere penitentibus & confessis, qui limina Sanctorum Apostolorum visitabant a Festo Nativitatis Domini M. CCC. usque ad annum unum, & etiam qui stabunt Romæ continue diebus XV. visitando singulis diebus loca sancta, Indulgentiam omnium peccatorum, excepto peccato usuræ. Ad quam Indulgentiam ivit populus sine numero.

*De electione D. Pagani, & D. Ottonis, & verra.*

Anno Domini M. CCC. primo, mortuo D. Petro Patriarcha, Capitulum Aquilegiense convenirent de electione facienda in Festo B. Matthiæ Apostoli: & elegerunt in Patriarcham omnes Canonicos D. Paganum de la Turre, nepotem quondam D. Raymundi Patriarchæ, Decanum Aquilegiensem; exceptis D. Jacobo Episcopo Concordiensi, & Gylono de Villalta Archidiacono Aquilegiensi, & Odolrico de Glemona Canonico Aquilegiensi, qui postulaverunt D. Ottonem de Ortumburch Praepositum .... Qua electione, & postulatione celebrata, tunc unanimiter elegerunt D. Vidonem de Villalta, Canonicum Aquilegiensem, Vicedominum generalem. Qui Dominus Vicedominus cum vellet Castaldias dare, sicut erat consuetudo, Communitates Civitatensis, Utinensis, & quidam alii, nolentes sibi dimittere, quia dicebant se emisse a D. Petro Patriarcha dictas Castaldias, & sibi solvisse pro ipsis; orta est verra inter Communitates ex parte una, Vicedominum cum Castellaniis ex altera. Qua de causa combusserunt villas, & deprædati sunt omnia ubicunque poterant recipere. Deinde elevatus fuit Capitaneus D. Henricus Comes Goriciæ per ipsum Capitulum Aquilegiense, & Castellanos, die V. intrante Junio eodem anno. Item die XIII. intrante Junio, Civitatenses cum gente Comitis de Ortumburch intraverunt villam de Fagedis, & ipsam combusserunt, omnia inde auferentes: & combusserunt totam villam, & roncaverunt.

Item sexto die sequenti iverunt Utinenses cum  
Tom. II.

(<sup>a</sup>) Octavus.

Theotonicis ad villam . . . & ibi ceperunt multis homines, & deprædati fuerunt totam villam cum Cortina ejusdem villa: & tunc tota Terra Forijulii tam ex parte una, quam ex alia fuit destrutta totaliter. Quæ verra & discordia in Festo Exaltationis S. Crucis, tractatu D. Meynardi filii Domini Alberti Comitis Goriciæ fuit pacificata: & factæ fuerunt treuvæ eodem die usque ad Festum Circumcisionis Domini futurum,

*De grandi terræmotu.*

Anno Domini M. CCC. I. die XI. intrante Junio die Dominicæ in aurora diei, fuit magnus terræmotus, & circa Nonam semel, & post Vespertas ter eodem die, & in sequenti nocte post medium noctem semel.

*De grandi tempestate.*

Item eodem anno in Vigilia S. Vodolici, fuit in Civitate, & circa Civitatem tempestas tam magna, quia quasi destruxit omnia circa Civitatem: & fuit grossa, sicut ova.

*De adventu D. Ottoboni Patriarchæ.*

Anno Domini M. CCC. II. penultimo die mensis Martii, Sanctissimus Papa Bonifacius (<sup>b</sup>) Quartus contulit Patriarchatum Aquilegiensem D. Ottobono, tunc Episcopo Paduano; & Episcopatum Paduanum D. Paganino Decano Aquileiensi, electo in Patriarcham, existenti in Curia Romana super quæstione ipsius Patriarchatus. Qui D. Ottobonus venit in Forumjulii, videlicet Utinum, X. die exeunte Augusto: in Civitatem vero die VI. exente Augusto.

*De turri & scalis lapideis per Patriarcham Ottobonum in Civitate.*

Anno Domini M. CCC. III. Ven. Pater & D. Ottobonus, Dei gratia Aquileiensis Patriarcha, fecit ædificari & construi in Austria Civitate Turrim cum scalis lapideis versus Ecclesiam: & incepit in Majo, & perfecit ipsum opus in Augusto, prædicto anno.

*De igne in Civitate.*

Anno Domini M. CCC. III. die XII. intrante Junio circa medianam noctem, exivit ignis de domo Boni prope portam pontis Austriae Civitatis de intus versus Orientem, in qua morabatur quidam Tuscus, nomine Auguslinus. Et combusserunt omnes domos D. Bernardi Decani, & domos D. Henrici de Prampercho cum turri, quæ fuerunt D. Girardini Militis, & illorum de Orzono; & omnes domos ab utraque parte viæ, usque ad viam qua itur Pusternulam five ad molendinum; & eundo versus Fratres Minores, omnes domos ab utraque parte duarum viarum combusserunt; & domos Domini Abbatis Rosacensis, & domos Fratrum Minorum cum omnibus domibus Curiæ sitæ . . . domos Fratrum, quæ dicebatur Curia D. Abbadotti.

*De morte Musatti.*

Anno Domini M. CCC. IV. Musattus de Civitate, Capitaneus five Castaldo Montisfalconis nomine & vice D. Patriarchæ Ottoboni, fuit interficetus per D. Rodulphum de Duino apud Montemfalconem, ipso Musatto venante cum accipitre, die IV. Septembri: & die V. ejusdem mensis portatus fuit Civitatem, & sepultus apud Fratres Praedicatorum.

(<sup>b</sup>) Octavus.